

Ann. 913, mense iunio.

Commutatio bonorum in fundo Anticiaco inter Sigifredum abbatem s. Ambrosii et Adelbertum presbyterum de eodem vico Anticiaco.

Ex autographo in Arch. s. Fidelis Mediol.

PORRO.

† In Christi nomine. Berengarius divina hordinante providentia rex, anno regni ejus vigesimo sexto, mense iunio, indictione prima. Comutacio bone fidei noscitur esse contractum, ut vicem emcionis obtineat firmitatem, eodemque nexu oblicat contraentes. Placuit itaque et bona convenit voluntatem inter Sigifredus venerabilis abba monasterii beati Christi confessoris Ambrosii, ubi ejus sanctum umatum quiescit corpus, qui est fundatum foris prope civitate Mediolani, nec non et inter Adelbertus presbiter de loco Anteciaco et filius quondam Gisenulfi, qui vixit lege Langobardorum, ut in Dei nomine debeat dare, sicut et a presenti dedit hac tradedit his ipse Sigifredus abba eidem Adelberti presbitero in comutacione nomine presenti die proprietario suo jure abendum, idest pecia una de campo jure ipsius monesterio, qui est posito in jam dicto vico et fundo Anteciaco; ubi coerit ab ipso campo, quas eidem Abelberti presbitero in comutacione nomine dare videtur, da tres partes percurentes vias publicas, da quarta parte, quod est da meridie, et in aliqua parte vias, relico ex ipso campo, quod a parte ipsius monesterii reservat; et est per mensura justa ipso, quas ipsius Adelberti presbitero comutacionis nomine dare videtur, infra ipsas coerencias perticas legitimas iugialis septem. Unde at vicem recepit his ipse Sigifredus abba ab eodem Adelbertus presbitero similique comutacionis nomine presenti die a parte ipsius monasterii proprietario abendum, idest viniola peciola una cum area ubi extat, et campo pecia una cum arbores castanos super abente, jure ipsius Adelberti presbitero in eodem vico et fundum Anteciaco. Ipsa viniola nominatur de casa Gisenulfi; abet atfines da una parte, quod est da mane, Rachiberti presbitero, da alia et tercia ipsius monasterii, et est per mensura justa area ex ipsa viniola infra ipsas coerencias tabulas legitimas iugialis octo. Ipso campo nominatur Trastrada (?); abet atfines da una parte via, da alia, tercia et quarta parte ipsius monasterii; et est per mensura justa iuge legitima una et perticas legitimas iugialis novem, vel quod alii sunt ad suprascriptis omnibus rebus atfines. His rebus superius dictis cum superioribus et inferioribus suorum, et cum finibus et accessionibus earum, qua-

liter ut superius in eum dictum est in integrum. Super quas rebus de ambarum partes accessit Rachinaldus presbiter, prepositus et monachus ipsius monasterii et misso ipsius Sigifredi abbati, simul cum eodem Adelbertus presbitero comutatore et cum viri idoneis et extimatores omnes, eorum nomina hic subter leguntur; quibus ipse misus rebus de ambarum partes previdi, et ipsis extimatores extimaverunt seo dixerunt, ut melioratis et ampliatis rebus recipere ipse Sigifredus abbas a parte ipsius monasterii, quam eidem Adelberti presbitero dare, et hac comutaciones iste legibus hac firmiter fieri possent, ab hac die presenti quis qualiter ut supra a parte in comutacione receperunt, abere et possidere debeant, et faciant exinde cum heredibus et successoribus suorum pars parti legibus quod previderint, sine uni alterius eorumque heredibus et successoribus ulla contradictione. Et taliter sibi unus alteris comutacionis nomine tradiderunt, et sponponderunt sibi unus alteris ipsis comutatores cum heredibus et successoribus suorum, quis quod ut supra a parte in comutacione dederunt hac tradiderunt, in integrum omni tempore ab omni omine defensare. De quibus etenim capitulis superius scriptis penam inter se posuerunt, ut quis ex ipsis aut heredes vel successores eorum set de hac comutacionis remove querierint, et non permanserint in ea omnia, qualiter superius legitur; tunc componat parte illa qui non conservaverint, a parte fidem servanti pro pena nomine rebus ipsis in easdem loca, sicut pro tempore fuerint melioratis aut valuerint sub extimacione in duplum. Actum ipso monasterio.

† Ego Adelbertus indignus presbiter in hac comutacione a me facta subscripsi.

† Reginaldus presbiter, prepositus et monachus ut supra missus fui et subscripsi.

Signum † † † † manibus Ambrosii de Nebiano, Giselberti filius quondam Leoperti, Petri filius quondam Latzari, et Odelrici filius quondam Liudoalci, isti de loco Trigilla, qui ut supra interfuerunt et extimaverunt.

† Aupaldus iudex domni regis rogatus subscripsi.

† Adelicus notarius rogatus subscripsi.

Signum † † † † manibus Nortemanni et Grimaldi, seu Petri vasalli, idem Sigifredi abbati testis.

† Natzarius notarius scripsi, post tradita complevi et dedi.